

Schae-
fer

1775



138.



178.
92
VTILITATEM EX HVMANIORIBVS LITERIS IN IVRIS-
PRVDENTIAM REDVNDANTEM

EXPENDIT

ET

AD SEX OPTIMAE SPEI IUVENVM

ORATIONES

IN SCHOLA NEOSTADIENSI AD DRESDAM

d. XIX. MAII A. R. S. MDCCLXXV.

HORA II POMERIDIANA

BENEVOLE AVDIENDAS

OMNES MV SARVM PATRONOS AC FAVTORES

OFFICIOSISSIME ATQVE HVMANISSIME

INVITAT

M. IOANNES GODOFREDVS SCHAEFER

RECTOR SCHOLAE NEOSTADIENSIS AD DRESDAM.



DRESDAE,

EX OFFICINA HARPETERIANA.

ORATIONES



BRUNNEN
HALLÉ





Cum anno praeterlapso de vtilitate, ex literis humanioribus in sacras redundante, pauca quaedam scripserim, non possum, quin hoc argumentum persequar, breuiter de earundem *Vsu in Iurisprudentia* praefaturus. Alumnorum aureae Themidis sunt nonnulli, qui totum hoc humanitatis studium leue, nec satis dignum, in quo multum temporis conterant, arbitrentur. Sunt, qui, ne a limine quidem salutatis illis literis, vno quasi saltu in amplissimam curiae et fori lucem se transferri, credant. Friuolis istis et praeficarum naeniis frigidioribus opinionibus in praesenti me opponam, docturus, quam indissolubili nexu literae elegantes cum iuris scientia sint sociandae, et quam cauendum illis sit, ne hoc Palladium aut Diomedea vi, aut Vlyseo dolo, sibi eripi patiantur.

Illis, qui iuri dicundo studium suum operamque addixere, perfecta nec vulgaris *Latinae ac Graecae linguae* notitia necessaria est. Cum enim praestantissimae huius scientiae conditores felici illo saeculo vixerint, quo vberissima illa et cultissima antiquae vrbs, Romae, lingua, in quam iste gentium princeps populus omnes aliarum delicias et venustates studiose contulit, quam maxime floruit, illique semper in explicandis legibus, Senatus consultis, decretis principum, edictis magistratum aliisque artis suae fundamentis quarumlibet vocum vim ac potestatem quam diligenter attende- rint, et denique operis sui caput quoddam ac partem de Verborum Signifi- cationibus inscripserint, nemo adeo perdit pudoris erit, vt legum consultis linguae Latinae cognitionem inutilem affirmare sustineat. Ea enim quicun- que carent, neque auro pretiosiora legum duodecim tabularum fragmenta, quae ex miserrimo bonorum auctorum naufragio ad nos peruenere, et teste Cicerone, (*) non eloquentiae solum sed etiam linguae Romanae pa- rente, auctoritatis pondere et vtilitatis vbertate omnium philosophorum bi- bliothecas superasse dicuntur, intelligent, neque in veterum Iurisprudentum scriptis, magna ingenii felicitate magnaue reconditae doctrinae copia reple-
tis,

(*) de Orat. L. I. c. 44.

tis, quicquam proficient, neque tandem ex reliquis omnibus, qui multi sunt, scriptoribus et imprimis ex Cicerone, qui Iulius disciplinae peritissimus fuit, et vniuersum ferme ius ciuile libris complexus est, aliquid vtilitatis percipient. Cum enim verba sint signa eorum, quae mente concepimus, fieri nequit, vt, qui vim verborum ignorant, sensum, verbis expressum, assequantur, et notiones, vocabulis subiectas, bene exploratas habeant. Antistium Labeonem, Iurisconsultum nobilissimum, cum valde praedicasset A. Gellius, (*) postremo addit: *Latinarum vocum origines rationesque percalluerat, eaque praecipue scientia ad enodandos iuris laqueos utebatur*. Et illi quoque nunquam satis laudari possunt in omnibus eruditionis partibus verlatissimi iuris antistites, quos non alia re magis, quam hac arte, innumerabiles ac difficillimos iuris nodos expediuisse, accepimus. Linguae vero Graecae qui imperiti sunt, nullum ex Iurisprudencia, quae apud eruditam hanc gentem quam diutissime viguit, et ex eorum scriptis cognoscenda est, fructum haurire poterunt. At iis contra, qui illius flumine pectus irrigarunt, operam et molestiam, quae ei addiscendae impenditur, multiplici foenore nunquam non remunerabitur. Cum enim duodecim tabularum leges, quae iuris scripti apud Quirites initia ac fundamenta habentur, ex optimis et sapientissimis Atheniensium, Lacedaemoniorum aliarumque Rerumpublicarum legibus collectae fuerint, primos iuris ciuilis fontes et originem a Graecia, publico quondam bonarum artium veluti emporio, petendos esse, sponte patet. Insuper, qui eiusdem sermonis rudes sunt, neque posteriorum Imperatorum novas constitutiones, neque vtilissimas plures Harmenopuli aliorumque, quos ea aetas tulit, monimenta euoluere poterunt, nisi forsitan infidi ac barbari interpretis negligentiae fidem habere velint, vnde vero quae ant quot incommoda metere soleat Iurisprudencia, cum Graeca valere resque suas sibi habere iusserit, videat, et comparet aliquis commenta priorum iuris interpretum Azonis, et similibus, cum ea luce, qua scientiam hanc postea Graecarum literarum ope illustrarunt Alciatus, Budaeus, Cuiacius aliique heroës. Sed et quam multa in prisco iuris Romani corpore occurrunt Graece ab ipsis disciplinae conditoribus scripta? quam multa ex Graecis auctoribus Homero, Platone reliquisque prolata? quam multa denique, quae ex Graeco idiomate celerius et citius intelliguntur, quaeque ante Alciatum et quos modo allegaui, inter constituta maiorum referebantur, quorum ratio reddi non posset? Quam ergo peruersa et infelici mente praeditum esse oportet, qui

non

(*) No. Attic. L. XIII. c. 10.

non intelligat, difficulter profus ad interiorē Iurisprudentiae cognitionem perueniri sine literarum Graecarum peritia, et qui non malit ex ipsis veterum iuris auctorum genuinis fontibus, quam ex interpretum lamis inde et multa saepe cum inscitia deriuatis, eam haurire.

Deinde quid quantumque prudentiae ciuili iurique gentium pernoscendo conferant *Historiae*, inprimis Graecae et Romanae atque earundem ciuitatum administrandarum ratio bene perspecta, quilibet omnium calculis firmatum reperiet. Ne vnica quidem in vasto illo Iuris Corpore lex est, quae sine historiae Romanae cognitione intelligi aut explicari possit. Nec est, qui ignoret, instructiorem haud vsquam alibi Politices reperiri officinam, quam in historiis cum omnium, tum eorum inprimis populorum, qui suam optime ordinarunt Rempublicam atque illustria omnis exempli documenta posteris reliquerunt: qui, constituta saluberrimis legibus disciplina, domestica et militari, ad summum gloriae fortunaeque fastigium res suas sua virtute perduxerunt. Est quaedam motuum mutationumque aeterna vicissitudo, qua, dum aliae ciuitates obruuntur, aliae nascuntur, et in immensum crescunt, donec eodem aestu fortunae raptae et absorptae suis temporibus euanescant. Cum vero earum mutationum, quibus orbis ita quandoque commouetur, vt paene fractus illabatur, causae certae fuerint, vel externae, vel internae, quas non obscuras esse, patitur lux historiae, testis illorum temporum, quanti non facient iuris periti remotissimae antiquitatis monumenta, in quibus, velut in speculo, rerum, ex sententia vel praeter eam fluentium, causas cognoscere felices et securi queunt, ac discere, quae consilia, et quam ob rem, sequiorem habuerint euentum, quae responderint votis, quibus vitiis laborarint ciuitates florentissimae, quae conciderunt praecipites et sublatae sunt e medio; qua virtute, quibus artibus, quibus legibus contra emerferint aliae, ab exiguis et paene lordidis initis profectae? Inde sibi suaeque reipublicae vtilia et decora, quae imitentur, inde foeda et exitiosa, quae vitent, facile capient, atque in memoriam et vsum vitae domesticae ac forensis recondent.

Illis praeterea, qui haud inutiliter in iuris disciplina operam consumere student, multum praesidii collocatum est in *sollerti rerum antiquarum scientia*, quam veluti largissimo sinu aut copiae cornu abundantissimo effusam prisca Latii et Graeciae volumina lectoribus suis liberaliter impertiuntur. At enim cum certum sit, Iuris scientiam iam praeteritorum dudum saeculorum monumentis olim fuisse commendatam, et inde a nobis repetendam, haud arbitror, fore quenquam adeo oculis vel mente captum, qui inficiari audeat,

deat, ad illorum temporum, gentium, auctorumque libros recte intelligendos necessarium esse, ut explorata quis habeat veterum, sacra et profana, togae bellique, instituta, leges, magistratus, omnem denique, Romanorum maxime et Graecorum, forensis domesticamque vitam, siquidem auctores hisce rebus, ritibus, moribus publicis priuatisque sunt oblitus passim et referti. Certe, si quis, absque hoc literarum antiquarum lumine ista intellegendum se, speret, faciet is intelligendo, ut nihil intelligat. Et quem latet, antiquitatis Romanae partem eamque praecipuam Iuris Corpus includere, quam proinde si quis non diligenter inuestigauerit, scientiae suae densissimis tenebris circumfusae sepelientur. Plinius, (*) Aristonem, Iuriconsulturn, laudaturus, nihil in eo magis quam illam prisca moris peritiam admiratus est, et in perferenda omni antiquitate diligentissimus scriptor, iam supra allegatus, A. Gellius, (**) Antistium Labeonem, Iuris magistrum, nihil ratum pensumque habuisse, nisi quod, iustum sanctumque esse, in Romanis antiquitatibus legisset, luculenter disseruit.

Quis denique causarum patronus, qui aut clientium iniuriis vindicandis aut reorum, qui maleuolorum calumniis opprimuntur, saluti defendendae linguam locare solet, nisi forsitan quispiam de foro rabula, qui ventoso quodam tumore atque enormi immanique loquacitate orationem corrumpit, et tendiculas tantum atque aucupia verborum sectatur, *eloquentiam* diuinitus concessam nullius commodi esse, affirmare audebit? In obeundis enim iudiciis, in condendis legibus, in ferendis sententiis, in omni negotio, domi forisque agendo, sola dominatur illa artium regina, eloquentia. Salutaribus eius praeceptis inundati, causas quasque definiendo explicare, apte in partes tribuere, de singulis clare et ornate dicere, testium productorum fidem argumentis firmissimis vel probare vel refellere, iudicum animos, partim, aut gratia aut misericordia occupatos, verborum pondere ad iustitiam ac severitatem impellere, partim, quod crimina obiecta aliquam veri speciem praeferrant, a reo alienatos miseratione ac precibus ad clementiam ac leniorem sententiam flectere, et tandem, quo nihil honorificum magis ac honestum obtingere potest, in omnium hominum animis regnare, et mentes auditorum, quocumque velint, ducere, docentur. Quis enim ad virtutes ardentius cohortari, quis a vitiiis acriter auocare, quis ardorem civium, prava iuventium, edomare, quis gladios cruentes eorum manibus extorquere, quis metu terroribusque exanimatos erigere poterit, nisi qui profundam earum rerum scientiam,

(*) L. I. Ep. 22.

(**) Noct. Attic. L. XIII, c. 12.

tiam, quibus omnes animorum motus in audientium mentibus aut sedantur aut excitantur, quibus imperia et ciuitates gubernantur, quibus per ancipitia, per alta, per excelsa, per abrupta summa admiratione rapiuntur, vastissimo animi ambitu condiderit?

Quibus ita comparatis, quis non intelligit, Iurisprudentiam ex amoeniorum literarum disciplinis praesidium et ornamenta sibi parare, earumque lumine ac splendore illustrari? sed ne nimia humanitati arrogasse videar, ad priorum temporum conditionem et ad flores literaturae marcescentes oculi sunt conuertendi. Legum scientia, quae diu in gradu perstitit, et maiestatem suam longissime seruauit, tandem etiam, extincto omni eruditionis lumine, barbarorum populorum insitutis turpiter seruire coacta est. Tam crassa ignorantiae caligo Iurisprudentiae, quae, florecentibus amoenioribus studiis, honestissime enituerat, tenebricosis illis temporibus obducta erat, vt, si interpretationes doctorum illius aevi inspiciantur, ad errores ita absurdos et ineptos risus vix teneri possit. Postquam vero humaniores literae a squalore et situ se emergerent, iuri operam dantes in exponendis legum Romanorum pandectis, quas reductas et ex orco reuocatas esse, humanitatis studiis debetur, adscita morum Romanorum peritia, priores legum interpretes reliquerunt, et artem suam ducibus et antesignanis, Alciato, Budaeo, Cuiacio, Hottomanno, quosque ea tempestas plures protulit, ex lateritia auream reddiderunt. Tantorum heroum, quorum per omnium ora, cum viuerent, fama peruolauit, et quorum memoria, iam pridem leto erepta, in omne aeuum perdurat, exemplis incensi, in rem suam conuertent legum iustitiaeque sacris sese initiaturi, si, eorum vestigijs inhaerentes, elegantiorum literarum veneres omnes et delicias ita degustant, vt impetu maximo ac voluntate ferantur ipsi ac volent quasi in virorum sapientissimorum monumenta quaerenda et inuestiganda, quibus ea studia, quae ad commendationem et ornamentum faciunt, continentur.

Nunc praefens instituti ratio vela contrahere et ad id festinare me iubet, quod occasionem scribendi subministravit. Sunt nimirum duo optimae notae ac spei iuuenes ex complexibus nostris dimittendi, qui, linguarum et disciplinae elegantioris praesidijs bene instructi, Academiam Lipsiensem petendi, consilium ceperunt haud contemnendum. Hi vero prius, quam discessum a nobis parent, specimen doctrinae, quam collegerunt, publice edere, animumque beneficijs deuinctum Patronis ac studiorum amplificatoribus profiteri, a pietatis officio haud alienum arbitrantur. Hinc, additis quatuor disciplinae

nae

nae nostrae alumnis, discendi cupiditate maxime commendabilibus, sequenti ordine prodibunt:

- I. IOANNES GODOFREDVS VLERICH, Cottewizenfis, *de pretio eruditionis recte aestimando*, sermone latino, verba faciet.
- II. CAROLVS FRIDERICVS BENEDICTVS CLASSEN, Lipsienfis, *de laude Poëseos* carmen epicum recitabit.
- III. CAROLVS GOTTLIEB KAESTNER, Dresdensis, *praestantiam Graecae linguae ad arrium liberalium cognitionem*, oratione Latina commendabit.
- IV. IOANNES CHRISTIANVS ADOLPHVS GVTMACHER, Dresdensis, *necessaria acquirendae doctrinae*, sermone patrio, enucleabit.
- V. IOANNES CHRISTOPHORVS ZVCKER, Dresdensis, *iustam auctorum veterum explicationem*, oratione Gallica, delineabit.
- VI. IOANNES GVILIELMVS SCHVLZE, Klingenthalensis e Variis, *studium eloquentiae persequendum esse*, stilo Romano, euincet.

Quibus orationibus recitatis, primus ordine, suo et secundi nomine Patronis scholaeque, vernaculo vsurus sermone ligato, Vale vltimum dicet. Cui eodem dicendi genere tertius respondebit, valedicentes gratulationibus et votis dimissurus.

Quo minus dubito, quin OMNES MV SARVM AMICI hoc institutum applausu beneuolo ornent: eo certiore in spem adducor, fore, vt SVA beneuolentia honestos horum iuuenum conatus sint subleuaturi. Qua mente omnes ac singulos, qui literas et colunt et tuentur, inprimis MAGNIFICVM SVMMEQVE REVERENDVM EPHORVM, SPLENDIDISSIMVM AMPLISSIMVMQVE SENATVM, PLVRIMVM REVERENDOS VERBI DIVINI MINISTROS, CLARISSIMOSQVE SCHOLARVM MAGISTROS, SVIS quosque honoribus ornatissimos, precibus, obsequii et obseruantiae plenis, rogo oroque, vt cras hora II. pomeridiana, surrepto gratioribus negotiis horulae spatio, scholae nostrae pergulas honorifica SVA praesentia condecorare et peroratos beneuole auscultare velint. Quam voluntatis propensae significationem sancta animi religione nunquam non deuenabor. Discedentibus vero a nobis scientiarum amatoribus diuini Numinis gratiam apprecor vt stadium hoc, quod sunt ingressi, sine remora percurrere, ac metam sibi praefixam ex animi sententia attingere possint. Scrib. in schola Neostadiensi ad Dresdam a. d. XV. Cal. Iun. A. O. R. MDCCLXXV.



Ma 6211^t

ULB Halle

3


007 437 862




V. D. 18

anti-
tio
fis,
un
ina
res-
t.
do-
ri-
t.
Pa-
ret.
ous
im
be-
nte
M
M-
B r
F i-
bb-
ra-
A
ro-
ne-
nis
re,
ola







52
 ANIORIBVS LITERIS IN IVRIS-
 AM REDVNDANTEM
 EXPENDIT
 ET
 MAE SPEI IUVENVM
 IONES
 STADIENSI AD DRESDAM
 A. R. S. MDCCLXXV.
 I POMERIDIANA
 EVOLE AVDIENDAS
 PATRONOS AC FAVTORES
 E ATQVE HVMANISSIME
 INVITAT
 DOFREDVS SCHAEFER
 NEOSTADIENSIS AD DRESDAM.



Ha 62 11 t

RESDAE,
 INA HARPETERIANA.